

/ Reverendissime et Ill/me Princeps, Cardinalis Amplissime,
Dicam verbo quod vere sentio. Ita me mei pudet, ut Ill/ma Celsi-
tudo V/a ex hac mea qua importunitate, qua scribendi frequentia, ma-
jorem molestiam sentire posse non videatur, quam ego erubescantiam
5 justumque meimet pudorem. Sed certus mihi videor, fore hunc postremum
utriusque nostrum in causa Domini Truchsesii laborem. Facit virum
caeteroquin modestissimum, uti penitus novi, tam audentem (etsi non
sine rubore) tum celer ac felix successus rerum ipsius apud Sedem
Apostolicam, agente R/ma et Ill/ma Celsitudine Vestra, tum metus f
10 fortasse aliquis, ne amisso tanto in alma Urbe patrono (ut in rebus
humanis fieri amat, omnes enim sicut aquae dilabimur) ipso expiran-
te, expiret cum ipso pariter concidatque omnis rei feliciter geren-
dae occasio. Dixi, non quod scio, sed quod verisimiliter suspicor, et
Ill/ma Celsitudo Vestra pro summa sapientia sua, cogitare facile po-
15 test; quo certe solo nomine, mitius bono oratori succensebit, et mo-
lestiam etiam hanc, omnino futuram novissimam, sanctiori patientia,
paterne digeret. Importunitas ipsius et mea, ut optima non sit, ze-
lus certe ipsius pro domo Dei inter frementes et circumstrepentes
undique haereticos, malus non est, quem S/mus D.N. in locis tam hor-
20 ridis fovere pro benignitate apostolica benigne debet, in plerisque
omnibus non tam languentem quam extinctum penitus.

In quonam suprema haec Oratoris verseturæ petitio, intelliget
Ill/ma Celsitudo V. ex adjuncto scripto; confirmari nimirum humilli-
me postulat gratiam illustri ipsius olim parenti à sanctae memoriae
25 Sixto V factam, amplificarique in iis punctulis quae ipsemet Orator
in margine expressa, ad me transmisit; ego vero ipsius proxeneta, ut
Arch. Vat. indignus ita certe invitatus, ad Ill/mam et R/mam Celsitudinem V. una
Gesuit. cum hac mea, et ipsius etiam epistola, destino, de caetero non reditu-
18 f. 76. rus in tam molesto negotio. Reverendissimae et Ill. Celsitudinis V/ae
Orig. adr. cachet. 30 sacram purpuram exosculor. Monachii A. 1615. 10 Julii.

R/mae et Ill/mae C.V. / Devotissimus in Christo filius / Joan-
nes Dannenmeyer Societatis Jesu.
R/mo atq. Ill/mo Princ. ac Dom., Dno Rob. tit. S.M. in V. Card. Bell. etc.